

ANIMAE EXAVCTORATÆ

NON POSSVNT CONcitare tempestates in aëre.

Tempestatum animam hinc quis somniet esse potētem
  Cùm meat, exuviis dispoliata suis?
Non ea vis animæ, nec in aëra tanta potestas,
  Hic vbi corporeis fungitur officiis.
Forsitan in ventos abit, aut vi absumitur ignis,
  Iride Tartareo sacra ferente deo:
Sæpiùs immani terra unde remugit hiatu,
  Vnde pluens, boat hinc, fulgurat inde, polus:
Antra tamen telluris eodem temporis ictu
  Qui potis, æthereas & reserare fores?
Adde, homicidarum cùm pendula triga latronum
  Infami caderet sub cruce, triga strigum:
Nec sudum magis est unquàm, nec amicior aër,
  Non pluviæ, tonitrus, fulgura, grando, nives.
Quæ tamen eveniant, (nec enim accersuntur ab ipsis:)
  Sed vafer ancipiti hęc arte ciet Satanas.
Aër enim globulum hinc Dianæ & subter, & illinc,
  Innumero fervet Dæmone, fervet humus.

ERGO

Spiritus ut semel hæc liquit tentoria pernix,
Aereas nullâ turbat ab arte plagas.

PLVS INTERest nobilium literatos esse, quàm

HOMINVM INFERIORI loco positorum.

Sint penes omnigenûm heroem mysteria rerum
  Sacra priùs, quàm sic per rude vulgus eant.
Præteritum se etenim indignum virtute reatur
  Cernere, ab his, quibus est nobilitate prior.
Quin & multiplices, Pol, æquum est calleat artes;
  Imperij quotus est, qui moderamen habet.
Quòd si aliis, quibus arrisit magis ęquus Apollo,
  Nobilum insertis accidat esse choro:
Nobilitas infensa pares, infensa priores
  Plebs ferre: Invidia hinc gliscit, & hinc odium.
Addo, quòd æternæ hæc sit nobilitatis imago:
  Impare sed referens ambitione Deum.
Quoq; Dei est agnata magis, magis imbibat altè,
  Quâ integrâ fruitur cognitione Deus.
Publica, quin etiam Hippocratis velut ore gemellos
  Res, cum *Academiâ cuilibet indigitat.
Veraq; nobilitas (nam vera nec est, nec habenda est
  Vera secus) tantæ vivida imago rei est.

*Sic hę syllabę proferuntur in Carmine Laureę Tullij apud Plinium lib. 31. nat. hist. c. 20. Atq; Academię celebratam nomine villam;

ERGO

Nobilibus curanda est dia scientia plus, quàm
Fortunâ positis inferiore viris.